

nes verò adhuc duplices sunt venæ, urinariæ & feminales sive spermaticæ: Urinariæ ex cavo renum oriuntur, ut materiam urinae transferant: Spermaticæ materiam seminis ad testes deportant; de quarum proprietatibus fusius in partium procreationi dicatarum consideratione & sectione sermo instituitur. Ex testiculis tandem in viris & mulieribus adhuc duæ promanant venæ, corpora varicosa vel flexuosa dictæ, quæ in viris desinunt in parastates, in mulieribus verò ad matricem tendunt.

Secunda pars rami descendens à quarta lumborum vertebra incipiens, in duos ramos distribuitur ex quibus inde adhuc supra pedem quinque promanant rami. In pede demum sunt variae venæ; circa inguina autem maior ramus ad genua tendens, duos alios emittit ramos, quorum unus circa genua statim obliteratur, alter ad malleolum usq; descendit; uterq; rursus varios emittit surculos. Atq; hætenus ne prolixitas fastidium pariat, de venis, nunc ut ad reliqua nos accingamus ordinis ratio postulat.

THEOREMA VIII.

DE PANNICULO.

Panniculus est pars similis, ortum a habens ex nervis & ligamentis.

a. Auice. Fen.
1. lib. 1. Doct.
5. c. 1

b. Laur. lib. 6.
c. 6.
c. Vesal. lib.
2. c. 5.

d. Vesalius loc.
citato.
Laur. lib. 6. c.
6.

Explicatis huc usq; partibus similaribus spermaticis mollioribus excavatis, trabentibus sanguinem, succedant partes itidem similes & spermaticæ & molliores, sed non excavate, verum aliquantò solidius compacte, in quarum censu prima est à pluribus vocatus panniculus carnosus, quam appellationem nonnulli minus probantes, convenientius eum membranam carnosam, vel panniculum nervosum aut adiposum appellari autumant: In homine enim per villos tantum hæret habetq; b interiectum adipem copiosum: Inde, inquit c Vesalius, non adeo arduum est, in homine cutem solam illesa membrana dividere ac in canibus & simiis. Efficiens huius panniculi est calor & virtus membranifica. Materia est seminis portio tenuis, unde aliquando est tenuissimus, & licet multa insint filamenta, tamen solidus & firmus remanet. Forma externa patet, quæ in recens natis est rubra, in adultis alba, pellucida & nervosa. Finis demum triplex in primis effulget. 1. Nervos pro tactu recipit. 2. Vapores sua grossitie & densitate sanguinis d

arripit.